

ORATIONES SOLENNES

MEMORIÆ

488/2.  
AUGUSTANÆ  
CONFESSIO<sup>NIS</sup>

renovandæ causa

ipsa

JUBILAEA FESTIVITATE  
SECUNDA

in

*Auditorio Majori*

Imperatorii Gymnasii

REVALIENSIS

Coram illustri Panegyri habitæ

&

in publicum pietatis Symbolum

ad posteros duraturum

jussu

INCLYTI SENATUS

ad Prelum,

adornata

a

*L. J. Bromsen*

M. JOH. DAVIDE GEBAUERO Walterssh. Goth.

Lit. Gr. & Poes. Prof. P.

REVALIÆ, Typis Joh: KÖHLERI, Givit, & Gymn: Typogr.

[1730]

URBIS IMPERIALIS,  
REVALIÆ  
INCLYTO SENATUI,  
CONSULUM  
COLLEGIO SPLENDIDISSIMO,  
UNIVERSO  
ORDINI SENATA-  
TORIO  
GRAVISSIMO,  
ET  
SECRETARIIS  
LITERATISSIMIS.



# Viris

Magnificis, Præ-Nobilissimis,  
Consultissimis, Amplissimis, Doctissimis,  
Prudentissimis

# Consulibus

Civitatis Proceribus, & Patribus  
spectatissimis,

Domino Henrico **Prese** / Cons. Seniori,  
Ærarii publ. Præsidi &c.

Domino Adolpho **Dom** / Sanctioris  
Ærarii Præsidi &c.

Domino Justo Henrico von **Millen**  
p. t. Consulares fasces dirigenti,  
Syndico, Consistorii ut & Collegii Gymnasiarch. &  
Scholarcharum Præsidi &c.

Domino Christiano von **Gieren** /  
Mercatorii Judicii Præsidi &c.

*Nec*



*Nec non*

# Senatorii Ordinis

membris gravissimis

Domino Benedicto Henrico Müller

Prætori primario,

Domino Christophoro Prechter/

Camerario primario,

Domino Petro von Blehn / Camerario,

Domino Johanni Jacobo Fürst/

Prætori & Gymnasiarchæ,

Domino Jac. Gottofredo Hippius/

Domino Diederico Vermeer/

Domino Johanni Joachimo Rodde/

Domino Nicolao Johanni Pottbeck/

Domino Johanni Andreae Wilcken/

Gymnasiarchæ & Scholarchæ.

Domino Henrico zur Mühlen/

iiiiV



Domino Henrico **Haecks**/  
 Domino Christiano **Befer**/  
 Domino Georgio **Witte**/  
 Domino Thomæ **Glanhills**/  
 Domino Bernhardo Rudolpho  
**Wettling** / Civit. Reval. Secret.

Domino Jacobo Friderico **Becke**/  
 Jud. Civit. Reval. Secr.

Domino Carolo Henrico **Sen-**  
**denhorst** / Consist. & jud. pupill. Secr.

**DOMINIS EVERGETIS,**  
**PATRONIS atqve FAUTORIBUS SUIS**  
 Gratos, & benevolis

**JUBILÆAS has ORATIONES**

*devote*  
*offert, dicat, consecrat*  
 M. Joh. David Gebauer.

**Viri**



# Viri

Magnifici, Præ-Nobilissimi,  
Consultissimi, Amplissimi, Doctissimi,  
Prudentissimi &c.

## Domini

Evergetæ, Patroni, Fautores  
omni honore colendi!



Vum jussu Vestro, VIRI  
AMPLISSIMI! in lucem  
prodeunt, quæ nupera  
Aug. Conf. Jubilæa  
Festivitate, partim à me,  
partim meo ductu à nonnullis Gymnasii nostri  
alumnis publice recitatae sunt, orationes, jure  
meri-



meritoqve etiam **AMPLISSIMIS VESTRIS**  
**NOMINIBUS**, ut in sacrum eorum ærarium  
reponantur, devota hac dedicatione offerun-  
tur. Minime quidem merebantur, nec eo  
exaratae fuerant animo, ut typis mandaren-  
tur, ac proinde censendae multo minus erant  
dignae, quibus à **VOBIS, PRUDENTISSI-**  
**MIS VIRIS**, albi adjicerentur calculi; attamen  
parendi **VOBIS** sortem & legem sortitus, ne-  
fas existimavi, **VESTRI MANDATI** teme-  
re deesse obsequio; quare & passus facile  
sum, ut publici, licet rei dignitate minores,  
fierent juris: eaque **humanitate atqve**  
**benevolentia vestrà**, quàm me hactenus  
plus simplici vice condecorare haud dedi-  
gnati fuistis, quàm maxime fretus, **GRAVIS-**  
**SIMA VESTRA NOMINA** qualiscunqve  
hujus opusculi fronti atqve conspectui præ-  
mit-



mittere ausus sum, ut Orationibus, quo cæteroquin carent, pondus hac ratione accresceret; audaciæ autem hujus veniam eo facilius à VOBIS me consecuturum, spero, quo magis & meo & publico Gymnasii nomine debitæ pietati ac gratitudini operari videor.

Quod ad me attinet, neminem latet, quanta, quamque multa VESTRI erga me favoris extant documenta. Ingratæ igitur & prorsus impiæ mentis notam incurrerem, si hanc occasionem, pietatem meam & gratæ mentis studium pro tot, tantisque beneficiis, quibus VOBIS me hæcenus obstrinxistis, publice exponendi, negligerem. Quamprimum enim Revaliæ innotui, benignissime VOBIS libuit mihi, alienigenæ, & externæ gentis homini, publicum in urbica schola juventutem regendi docendique munus, & cum eo

):( ): (

simul



simul pignora, quæ habetis charissima, concedere. Quam Benevolentiam, cum summam, & tantam judicarem, ut, ad illam nullam unquam accessionem futuram, asseveranter crederem, cumulatissime tamen auctum ivistis, quoniam me novo favoris exemplo ex urbicæ scholæ subselliis ad **illustres Imperatorii Gymnasii Cathedras** evocatum, publica autoritate, cum græcas literas, tum præcepta poëtica docendi, benevolentissime ornastis. Ut igitur, tot, tantisque **SUMMI VESTRI FAVORIS** documentis publice exstantibus, publice etiam constet, **VOS** beneficia non collocasse in ingratum, publico omnino hoc qualicumque specimine declarare debui, quanta mea erga **VOS** sit observantia! quantum grati animi studium! quanta pietas!

Quod



Quod si præterea animo meo rationeque  
pensito, eundem **SUMMI VESTRI FA-**  
**VORIS** rivum è Curia, velut ex amoenissimo  
fonte, etiam in sacram Musarum nostrarum  
vallem devolvi, atque quam largissime dif-  
fundi, nova sane obligatione ad exquisitum  
quoddam gratitudinis demonstrandæ monu-  
mentum excitator & obstringor. Sed quibus  
verbis, & qua ratione hac in parte laudes  
**VESTRAS** digne efferam? **Quod** enim quon-  
dam **ERYCUS PUTEANUS** in sua **Suada**  
**Attica** (Orat. i. ad Senat. Mediol. p. 2.) de  
**Senatus Mediolanensis** peculiari, eo-  
demque maximopere laudando studio de-  
prædicavit, quod inter ipsas reipubli-  
cæ curas quam maxime curaverit



ut & literæ florent: id de nullo certe  
aptius, de nullo verius, quam de VOBIS,  
NOSTRO REVALIENSI SENATU con-  
tendere posse videor. Vos imprimis provi-  
dâ Numinis curâ singulum VESTRUM ad  
civium æque, ac urbis felicitatem promoven-  
dam destinatum esse creditis, & quemadmo-  
dum cum BACONE de VERULAMIO  
persuasissimi estis: rempublicam floren-  
tibus liberalibus artibus esse floren-  
tissimam, & accuratiori judicio res  
omnes suscipi disponique feliciter a  
literatis, quam ab illiteratis; (Serm.  
Fidel. cap. XLIX. p. 228.) ita VOBIS rei non  
minus literariæ, quam publicæ incrementum  
pariter ornamentumq; curæ cordique esse, lu-  
culentis perquam comprobatis documentis.

VOS



VOS omni modo & curate advigilatis, ut ingenuis artibus, earumque doctoribus cultoribusque hîc loci suus habeatur & servetur honor; VOS rei scholasticæ cultum omni defenditis subsidio & promovetis sumtibus haud exiguis. VOS omnem operam in procurandis & adornandis rectoribus pietatis doctrinæque officinarum Revaliensium institutis impenditis; Et quoniam comertum perspectumque habetis, quantæ Scholis sit utilitati frequens Ephorum in eis præsentia, sæpissime etiam, & quoties necessitas exigit, e medio VESTRO Gymnasii, & reliquarum scholarum CURATORES docentium discientiumque operas inspectant, præscribunt, dirigunt, adjuvant. Quid? quod ipsa docentium multitudo publicum summæ curæ, qua rem nostram scho-



lasticam amplectimini , monumentum est.  
Imperatorii scilicet Gymnasii Profes-  
sores & Magistri publici , SIGISMUNDI,  
PFÜTZNERUS & præter me , HEINSIUS;  
MENTZIUS, HIRSCHHAUSIUS, & BIECKIUS; post  
tenerioris juventutis & tyrocinio-  
rum in urbicis scholis rectores,  
HENNINGIUS, NIEBERGIUS, FRIESELIUS, & GEI-  
STERUS suas quisque assignatas operas SUB  
VESTRIS AUSPICIIS observantes, abunde  
testantur , quanta cura quantoque studio rei  
scholasticæ commoda vobis habeatis com-  
mendata. Egregium enim, & inter prima  
CURÆ SENATORIÆ merita numeran-  
dum est, quod nulli unquam tot docentium  
quicquam obstaculo esse patimini. Ad pu-  
blicas Literarum sedes æque ac ad docentium  
domi-



domicilia reficienda, aut de novo exstruenda  
maximos quotannis insumitis sumtus, sol-  
licite providentes, ne quisquam nostrum sine  
certo lare in urbe vagetur; & ne pro duro  
labore pauperiem pati, ingratorumque inju-  
riis exponi cogamur, opportuno semper, &  
constituto plerumque tempore salaria cura-  
tis distribuenda; Nec dissimulandum, sed  
merito publica hac dedicatione summopere  
deprædicandum est **annuum illud & ve-**  
**re Imperatorium Stipendium,**  
quod, impensa Vestra opera inter-  
cedente, à **CÆSAREA CLEMEN-**  
**TIA** nobis gratiosissime concessum  
est. Pro qua singulari rem literariam tuen-  
di juvandi que curâ, & imprimis pro summis  
mihi exhibitis beneficiis cum dignas **VOBIS**  
gra-



grates referre haud possum, DEUS ipse referat, & faxit, ut Vestrae hujus curæ & benevolentiaefructu atqve successibus charissimi vestri nati natorumqve posterifelicissime fruantur, atq; vobiscum florere non desinant! id quod ex animo precor

**MAGNIFICORUM  
ET PRÆ-NOBILISSIMORUM  
VESTRORUM NOMINUM**

Cultor observantissimus

**M. JOH. DAVID GEBAUER.**

**Pro-**

# Programma,

quo

# SECULARIA JUBILA

in

memoriam

# CONFSSIONIS VERÆ FIDEI

duobus abhinc seculis

Augustæ vindelicorum

sub propitia ac provida DEI directione

*fortiter exhibita & feliciter defensa,*

ab

Imperatorio, quod Revaliæ floret, Gymnasio  
celebranda

indicit

M. JOH. DAVID GEBAUER

Waltershufa-Gothanus

Lit. Gr. & Poës. Prof. P.

---

REVALIÆ,

Typis JOH: KÖHLERI, Civit: & Gymn: Typogr:



B. L. S.



Um summi Numinis provida  
 & omnia (a) dirigens cura, omnibus  
 non minus ex auspiciatissimo Lu-  
 theranæ Reformationis innotescat  
 opere, quam ex circumspicienti tot  
 (b) tamque vastorum in hoc uni-  
 verso existentium corporum, eorum-  
 que motus celerrimi, dispositionis pulcherrimæ & ordinis  
 maxime mirabilis (c) consideratione; dubitari profecto  
 non potest, quin tam absurde (d) agant, qui divinam,  
 A 2 directio-

(a) Sap. VI. 8. XIV. 3. 4. Ebr. I. 3.

(b) Pf. CIV. 24. it. CXLVIII. 6.

(c) De providentia divina ex admirabili tam vastorum corporum ordine, dispositione & motu cognoscenda multi ex instituto tractarunt; nec legisse pigebit, quæ D. Buddeus. in Phil. theoreticæ part. I. pag. 379. & in Thesibus de atheismo C. VII. §. I. observavit.

(d) Pf. XCIV. 8. 9. 10. it. LXXIII. II. 12.

directionem à felicibus *B. Lutheri* in restituendâ Evangelicæ veritatis doctrinâ divellunt & separant conatibus, quam qui omnia reliqua in hac immensâ rerum universitate fortuito & DEO quasi dormiente fieri, sibi aliisque persuadere conantur. Interea tamen non desunt, qui partim cuncta ad politicas referre rationes, (e) ingenii nequaquam trivialis existimantes, secundos *Lutheri* in opere Reformationis successus humanis viribus tribuunt; partim singula ad suas exigendo limas, nihil, nisi quod ipsorum actionibus conveniat, divinum judicantes, divinos *Lutheri* conatus parvi ducunt. Verum enim vero, si omnia, quæ circa hanc illustrissimam Ecclesiæ Reformationem admiranda evenerunt, saniori ratione animoque lustraverint intentiori, facile, quod spero intelligent, omnium omnino humanarum rerum nullam clementissimâ DEI providentia & directione magis indignuisse, nullamque unquam ea magis adjutam esse, quam vel eâ indiguit, vel adjuta fuit, quæ, *Luthero* ministro, incepta est Ecclesiæ Reformatio.

Attentis enim judicii oculis intuentes, à quam exiguo initio ad quantum illa processerit incrementum, non possumus non divinam providentiam, quâ adspirante minima ad summa crescere solent, dilucide perspicere. Unus (f) scilicet *Lutherus* omni humano auxilio destitutus, infanam

(e) Id quod, si modo parum attendamus, experientia satis proh dolor! docet quotidiana. Vid. D. *Qvadii* Oratio, in Jubilæum Ildum Sedini edit. p. 12.

(f) Vid. clarif. *Rechenbergii* Hist. Eccles. Period. V. c. I. § 4. pag. 537. Conferatur h. l. præstantiss. *Joh. Matth. Junckeri* diss. de Galilæa. p. 39.

sanam indulgentiarum nundinationem (g) impugnando & refutando citra opinionem ad tantum opus, quod postmodum omnibus maximæ fuit salutis, accinctus est. Quicquid igitur à *D. Luthero* feliciter inceptum, quicquid prospere effectum, id omne DEO soli auspicienti, inflammanti, adjuvanti, acceptum debere ferri, qui inficias ibit, nullus erit. Præterea quoque *Lutherum* ipso restituendæ amplificandæque Evangelicæ veritatis studio summum simul Pontificem eo tempore aggressum esse, quo inveteratâ cum potentiâ tum licentiâ omnibus gentibus imperaverit, inter omnes constat. Quod vero quemque seria quævis æstimatione perpendentem de maxima circa conatus *Lutheri* promovendos summi Numinis curâ convincere facile potest. Potentissimum enim Maximi Pontificis octingentorum & quod excurrit annorum imperium, utpote quod jam inde à temporibus Bonifacii tertii (h) omnibus imperatorum regumque viribus intactum atque invictum manserat, munitum & licentiæ & consuetudinis privilegio, noster tam opportunus Salutis publicæ Stator, *Lutherus* non tam suis humeris admodum invalidis, quam divinâ gratiâ & providentiâ fretus maximo animo impugnavit; Et quod omnibus non potest non admirabile videri, adeo facile perculit, ut paucis post annis, quam divinum subierat

A 3

opus,

(g) Vid. M. Joh. Henr. Krausen dissert. III. de memorabilibus ecclesiæ p. 25.

(h) I, c. Rechenbergii Period, III, c. I, §. 24. pag. 199.

opus, non modo plurima pars (i) hominum in Germania; sed omnes etiam ad unum in Dania, Norvegia, Svecia, Finnia, Esthonia, Livonia, & aliis regionibus, pio Friderici Electoris Saxonæ exemplo, suoque non dissimili veritatis pietatisq; colendæ studio ducti, à Papa, quem paulo ante DEI instar venerati erant, deficerent.

In quo vero eo magis divinas, propiori totum opus cura amplexas admirabimur manus; quo magis consideraverimus, quanta acerbitate & quam detestabili dominatione, vel potius tyrannide in Reges, quin in summam Summi magistratus in imperio romano personam, ipsum Cæsarem usa sit laureata & summorum pontificum insignis Sella. Hujus enim insolentia tanta fuit, ut crudelissimum specimen, quod Hildebrandus Gregorii VII. (k) nomen sortitus, in Henrico IV. Seculo XI. exhibuit, non crederes, nisi tibi me in ipsis dissentientium scriptis legisse, persuadere possem. Hunc enim ille superba & detestabili formula in ipsius Platinæ de vitis Pontificum opere p. 165. exstante, non modo omnibus imperatoriis ac regiis insignibus privavit, sed etiam ministros illius ac cives juris jurandi,

(i) vid. Joh. Henrici Bœcleri Commentarii de rebus Seculi XVI. pag. 405. it. Chytræi Chron. Lib. X. nec non nobiliss. Johannis à Sanden Epitome Hist. Belgicar. Libr. I. pag. 1. 2.

(k) cit. Rechenbergii Hist. Eccl. Period. IV. c. 1. §. 22. p. 306. contulisse etiam juvabit quæ pag. 233. extant, Autor enim observat; quod Gregorius Diadema Henrico IV. detractum Rudolpho miserit cum superba hac inscriptione; Petra dedit Petro; Petrus diadema Rudolpho.

randi, quo illi obstricti fuerant & omnis obsequii religione exsolvit.

Qua licentia & crudeli insolentia reliqui deinceps eum secuti Pontifices suam dominationem audaciter cinxerunt, & tot seculorum decursu invictam reddiderunt. Sed cum in fatis esset, ut inveterata labe à sacris Christianorum deturberetur, pontifices in male agendi crudeliterq; principes tractandi licentia diutius exultare non passa est celestis providentia. Nam illorum elati & maxime insolentes spiritus, imbecilli *Lutheri* calamo, à Friderico sapiente tunc temporis per somnium viso, uno quasi impetu feliciter repressi sunt. Qualia hic præter divina deprehendas, quæ vis humana sibi tribuere possit, neutiquam video. Omnia enim, quæ à *Luthero* nostro prospere incepta sunt, cælestis providentia & æterna Sapientia omni jure ducit sua, & gloriæ quam sibi exinde soli vindicat, socium habet neminem. Nec prolixè referam, quot & quam admiranda divinæ procurationis vestigia nobis se manifestent, contemplantibus, quoties noster Evangelicæ veritatis Præco subductus sit atrocissimorum hostium (1) crudelitati ?

qvo-

---

(1) Ipse Maymbourgus negare non audeat, quod Pontificii nimis crudeles fuerint in Lutherum ejusque doctrinam: Seckendorff Hist. Luth. L. I. pag. 142. Præterea Lutheri Scripta non solum sæpissime tradita sunt Vulcano; sed ipse etiam Wormatiæ proscriptus l. c. p. 155. & quoad effigiem Romæ combustus est. l. c. p. 124. quem admodum etiam constat, quod doctrinæ ejus professores crudeliter vexati, exilio affecti, & necati sint l. c. 603. 669. qf. quoque Abrahami Bucholceri index Chronologicus p. 495.

quoties insidiis? quoties morti? Toties sanè à DEO provido atqve propitio ejus præsidio conservatus mihi videtur, quot dies, quin quot horas post inceptum Reformationis opus vitam duxit, summis quotidie periculis & insidiis expositus.

Maxime vero singularis & cursui Evangelii promovendo multo intentioris curæ divinæ vestigia sese produnt inque oculos & sensus omnium quasi ingerunt hoc ipso die manifestissima, *quo ducentis abhinc annis famigeratissima Evangelica veritatis*, quam jam tum B. Lutherus per tredecim annos successibus non contemnendis passim (m) disperferat, *Augustana Confessio, Carolo V. Germanorum Imperatori, præsentibus omnibus imperii proceribus ac delegatis quam plurimis, intrepide exposita est.* Omnes sane hujus diei circumstantias, hostium potentiam, multitudinem, odium, insidias, reique Evangelicæ posteriores successus, adjumenta, incrementa, qui accurate excutit, nullo negotio cognoscit, quanta cura, quamque luculentis suæ providentiæ documentis propitium atqve omnia inprimis Ecclesiæ fata quam sapientissime moderans Numen, qualiacunq; nostrorum veritatis defendendæ studia atqve conamina secundaverit.

Quodsi

---

(m) Vid. cit. Bœclerus in Comment. de rebus Seculi decimi sexti pag. 405. ubi speciatim commemorat, quod propagatio admirabilis Doctrinæ repurgatæ jam tum per inferiorem Saxoniam ad Bremenses deinde Magdeburgum, Halberstadium, Goslariam, Hamburgum, Wismariam, Rostochium transferit & inde in Pomeraniam, Borussia, Daniam, Sveciam, Livoniam, & in alia regna pervenerit. Vid. Seckendorff, Hist. Luth.

Quodsi enim DEUS unquam periclitanti ecclesiæ ex machina præsto fuit, aut afflictas res piorum sibi curæ cordiqve fuisse testatus est, id certe affirmari potest *de eodem hoc tempore, quo ante duo secula quam maxime periclitata* (n) *divina veritatis Confessio* & *tota simul nostra ecclesia contra omnes tot hostium insultus feliciter defensa est.* Satis constat, quid in *Comitiis Augustanis* contra nos tentatum & ad oppugnandam prorsusqve opprimendam Divini verbi doctrinam susceptum sit. Nimis longum foret, enumerare omnia odii, crudelitatis atqve insidiarum specimen, tunc temporis contra purioris doctrinæ professores edita. Unum satis erit dictum, ex quo intelligi posse arbitror, quantum adversariorum potentia fuerit furor, quamq; fortiter contra hunc pro nobis divina steterit cura. Scilicet non ita multo post *exhibitam veritatis Confessionem* d: 19. *Novembris ejusdem anni imperiale decretum editum in vulgus est, quo Confessio Augustana non modo diris damnabatur dictionibus; sed execrandus etiam ad Pontificiorum errores reditus serio omnibus imperabatur mandato, additis his severis minis, nisi confestim imperata fierent, omnibus extrema* & *arma expectanda esse.* (o) Satis dure! satis crudeliter! sed qui se à *Luthero* rectius informari passi erant ejusqve doctrinam ex sacris literis unice haustam jam acceptarant, obstantibus licet severissimis

B

his

(n) Rechenberg, H. E. Period. V. c. I. §. 22. it: Sleidanus I. 6. & 7.

(o) Bocclerus I. c. p. 319, add. Chytr, Chron. lib. 13,

his minis, fidâ tamen, quâ inceperant, mente constanter in-  
 hærebant veritati. Nonne igitur ex hoc clarissime & ma-  
 xime perspicue elucet divina directio, quâ solâ, haud aliter,  
 quam validissimâ fulturâ nixi, omnibus omnium hostium in-  
 sultribus fortiter resistere potuerunt afflicti piorum animi.  
 Et profecto haud alii quam DEO soli adscribenda est Vi-  
 ctoria, quam in tantis tot principum & ex omnibus totius  
 fere Europæ sedibus convocatorum procerum (p) Comi-  
 tiis, aut ut verius dicam, in tanto tot hostium congressu for-  
 tita est Veritas. Nec scio, an quisquam adhuc tam per-  
 frictæ frontis possit esse, qui divinam directionem amplius  
 in dubium vocare audeat; imprimis cum apud omnes  
 constet, quod hic idem dies qui ab hostibus veritati extin-  
 guendæ destinatus erat, DEO providenter omnia dirigente,  
 majora eidem splendoris incrementa (q) attulerit. Nam  
 B. Lutherus non solum ad majus veritatem Evangelicam,  
 porro ornandi & à corruptelis prorsus vindicandi studium  
 strenue excitatus est; sed omnes etiam reliqui rectioris  
 fidei & pietatis ratione jam imbuti ita confirmati sunt, ut  
 ipsorum postmodum industria in asserendis Evangelicæ  
 veritatis placitis, & proferendis vitæ religiosioris & emen-  
 datioris specimenibus multo excitatior existeret. Atque  
 sic, quum minime sperasses, veritas cœlestis hæcenus  
 pressa, opprimi haud potuit; sed potius, DEO benignissime  
 juven-

(p) Rechenbergii H. E. Period. V. c. I. §. 3. p. 561.

(q) L. c. Period. V. c. I. §. 30. p. 583.

juvante, instar Palmæ, quæ, quo majori premitur onere, eo altius assurgendo robor suum ostendit invictum, emer-  
 sit conspicienda omnibus & maxime admiranda. Quid  
 quod sub propitio omnipotentis DEI clypeo atque provida  
 tutela per duo secula instar rupis, medio in mari omnes  
 fluctus & procellas fortiter excipientis & sustinentis, con-  
 tra omnes ipsius cacodæmonis insultus ejusque in Terra  
 sociorum hostiles impetus immota stetit. Hanc vero pio-  
 rum constantiam atque hos veritatis efficacissimos successus  
 haud alii, quam DEO tribuendos esse, nemo, nisi prorsus  
 iniquus ambiguum habebit.

Nec temere *clarissimus Rechenbergius* (r) divinæ pro-  
 videntiae tribuendam censet subitanæ Aug: confessionis  
 translationem in diversas aliarum gentium linguas. Cæsar  
 enim non modo illico confessionem exhibitam, invitis etiam  
 pontificiis, utpote qui omnibus modis instabant, ne confes-  
 sio evulgaretur, aut typis procuderetur, per Alphonsum  
 Valdesium, & Alexandrum Sveisium, quos habebat à se-  
 cretioribus, in Hispanicam & Italicam transferri jusfit; sed  
 reliquorum etiam Regum, Principumq; legati, qui frequen-  
 tissimi aderant, (s) eandem in suæ quisq; gentis linguam  
 converti curarunt. Quo factum est, cum eodem simul tem-  
 pore per totum fere terrarum orbem disseminaretur, ut in-  
 nocentia & minime culpanda Lutheranorum studia, ab

(r) vid H. E. Period. V. c. I. §. 6.

(s) Boeclerus lib. cit. p. 407.

adversariis autem nihilo secius jam sapius, Schismatum, seditionum & nescio cujus atrocioris sceleris falso postulata, ubique non solum innotescerent; sed tot Exemplis Aug. Conf. certatim descriptis, licentia (t) etiam eam variandi corruppendiqve deesset. Plurima igitur sunt, quæ divinæ debemus providentiæ, & hic dies, quo olim tradita est Aug. Conf. omnium maxime prodit, quam impense divina cura cum *B. Luthero* sanctioreque per eum restituta doctrinâ conspiraverit.

Et quam luculenter porro divinam curam, providentiam & clementiam repræsentent longa inde ab auspiciatissima Augustanæ confessionis expositione ad nostram usque ætatem tempora, neminem nisi incrementorum nostræ religionis & rerum in Ecclesia per duo secula gestarum prorsus expertem & hospitem latere potest. Propugnata enim, ulterius propagata & ad nostra usque tempora conservata Ecclesia, quæ ministerio *B. Lutheri* à sordibus Pontificiis vindicata, *Evangelico-Luthera*na audit; data ubique publica huic adhærentibus eamque profitentibus immunitas & impunitas; vulgatum & disseminatum, innumeris jam in Ecclesiâ nostrâ editis bibliis, latissime copiosissimeque verbum

---

(t) Borscherus quidem in dissert. de providentiâ divina circa Aug. Conf. anno 1555. Rostochii habita, affirmat, Augustanam Conf. e Tomo Actorum collectorum excisam esse, ut adeo genuinum non variatæ Aug. Conf. exemplum in Tabulariis Imperii Rom: hodie non amplius esset vid. Bœclerus l. c. p. 406; Sed tot exemplis descriptis minime dubium est, quin adhuc non variatam habeamus Aug. Conf. id, quod vero soli DEO provide omnia dirigenti debemus,

bum DEI; conditæ ubiqve Evangelicæ veritatis, non minus tenerrimæ, qvàm adultiori publi inculcandæ, officinæ, Scholæ, Gymnasia, ac Academiæ; ipsa denique, qvâ sub Clementissimo **ANNAE** Potentissimæ Augustissimæque totius Rusiæ Imperatricis *Domina nostra Gratosissima & Incomparabilis* Clypeo & Tutela svavissime delitescentes omni procul metu & periculo securi atque qvieti utimur, qvâqve e contra omnes ad unum Pontificii his saltem in terris exclusi sunt, *libera ac publica Religionis Professio*; publica omnino sunt incrementorum Ecclesiæ nostræ testimonia, atqve ideo illustria tenerioris, qvâ DEUS res nostras huc usque benignissime promovit, procurationis documenta.

Ex his autem facile intelligitur, quantas nostro tam clementi DEO tamqve provide omnia moderanti debeamus laudes gratiasqve, & quantam publice lætandi ac nobis invicem gratulandi hodierno die nacti simus materiam, qvo *secularis Augustana Confessionis memoria* altera vice celebranda est. *Ruperto, Abbati Dwicensi, veteris avi haud exigui nominis Theologo, divinarum literarum studiosissimo* (u) cum jam ipsius tempore & quidem qvatuor seculis ante Lutherum animadverteretur, quantâ DEUS curâ qvamq; propenso favoris affectu augeat adjuvetqve salutaria Evangelii & veritatis promovendæ studia, maxime admiranda

(u) Vid, D. Menckens Gelehrten Lexicon, Lips, ed. 1715, p. 1931.

res visa est, & omni laude atque prædicatione dignissima, quemadmodum ex ejus commentatione, quam de *divini verbi Victoria* conscriptam reliquit, satis liquet (v).

Nonne potius nostrum putabimus esse, ut omnibus admirationis, laudum, ac prædicationum significationibus hunc diem prosequamur, quo tot tamque manifesta cœlestis providentiæ deprehendimus vestigia, ut alio tempore manifestiora atque luculentiora obvia aut fore, aut fuisse merito dubitemus. Eo profecto majori solennitate, eo sanctioribus votis ac devotioribus supplicationibus hic dies à nobis habendus est festus, quo luculentiora publice extant nobisque innotuerunt curæ atque divinæ erga nos benignitatis indicia. Scimus etiam ex publicis actorum ephemeridibus, quanto alii aliis in locis apparatu, quantaque solennitate hunc diem celebrandum indixerint; Neque sumus obliti, publice quoque indicium hujus festivitatis secularis *jussu superiorum* e sacris patriæ nostris solenniter factum esse; Et publica hujus diei gaudia, plausus, ac frequens ad sacras ædes concursus testantur, optimum quemque suis egregie defungi partibus. Absit igitur à nobis, ut publico huic officio Imperatorii nostri Gymnasii pietatem patiamur deesse. Nostrum potius est, ut mentes nostras ad devotionem eo majorem ac devotiora solennia & vota accingamus, quo majora hujus diei ad Musarum sedes redundarunt beneficia & quo luculentiora sunt, quæ se nobis  
 produnt

(v) vid. Gothofr. Vockerodt de Victoria veritatis Evangelicæ Goth. edit. 1723.

produnt providentiæ divinæ vestigia. Quorum venera-  
 tione igitur excitati, cum crastinum & qui illum proxime  
 sequetur, diem laudibus divinis dicandum duximus

Ego non modo ipse,  
 quem ordo seculari huic festivitati intentum esse jubet,  
 crastino die heroico carmine  
 prædicabo

*singularem circa Augustanam Confessionem & quos-  
 dam hanc præcedentes Lutheri conatus divi-  
 nam providentiam;*

sed duobus etiam *industriis & non spernenda indolis Clas-  
 sis I. Alumnis* hoc negotii dedi, ut simul publicis oratio-  
 nibus, uterque Vernaculâ linguâ solennia hæc secularia ce-  
 lebrarent, quorum

prior

**PETRUS JOH: NYBERG, Revaliensis.**

eodem mecum die prodibit

*Vestigia divina providentia circa totum Reformationis  
 opus pro eis, quibus poterit, viribus enodaturus;*

alter vero

**JOHANNES PETRUS UDAM Esthonus**

die XXVII. cathedram conscendet

de

*beneficiis divinis per emendationem ecclesie nobis  
 exhibitis dicturus.*

Et quoniam uterque suas me duce subibit vices, etiam nunc demum, postquam operi jam colophonem addidi, accessit

## GEORGIUS à RENTELÉN, Esthonus

*itidem Classis I. Alumnus & nota optima Juvenis,*

qui, quominus Gymnasio insalutato discessisse aut solemnem Alumnis nostris ante abitum valedicendi morem non observasse audiat, *brevissimis suo satisfaciet officio*; non solum meos, sed & horum Alumnorum discessum ad Academias meditantium pios conatus ut benevolâ suâ frequentiam adjuvent & ad sermones cras post horam IX. & perendie post decimam horam in majori I. classis auditorio recitandos frequentes conveniant, *omnes nostri Imperatorii Gymnasii Patroni & Fautores, imprimis rerum publicarum Moderatores cujuscunque ordinis in Provincia & Urbe & reliqui omnes, quotquot Ecclesiæ favent felicitati, eâ, quâ par est observantiam rogantur & invitantur.*

P. P. XXV. Jun. MDCC. XXX.

P. S. Denenjenigen / so der Lateinischen Sprache nicht kundig / dienet hiermit zur schuldigen Nachricht / daß an beyden Tagen sowohl den 26. als 27. hujus nebst dem Lateinischen Vortrag wird sogleich in Teutscher Sprache peroriret werden; und da man solche materie zu seinem Vorhaben erwöhlet / welche auf die bey dieser Zeit so nöthige Verherrlichung des Göttlichen Namens und derer sämtlichen Zuhörer heylsame Erweckung abzielet; als werden selbige insbesondere zu fleißiger Einfindung auf das freundlichste invitiret.

Carmen

R  
48,815.  
CARMEN HEROICUM

Solenne

de

Singulari DEI Providentiâ<sup>A</sup>

circa

Augustanam Confessionem

& quosdam eam præcedentes

B. LUTHERI

conatus

publico

Imperatorii, quod Revaliæ est, Gymnasilii

Nomine

ob

lætissimum

Augustanæ Confessionis

JUBILAEUM SECUNDUM

d. XXVI. Junii MDCCXXX.

publice recitatum

&

Superiorum jussu

impressum.



# In DEI Gloriam!



Agne vir & reliqui, quos nobile stem-  
ma coronat,

Præsertim nostræ clarissima lumina gentis!

Nobilis & Sapiens præclari sella Senatus,

Gloria Revaliæ, nostræ Spes ac Decus urbis!

Vos Patres, quibus alma fides verbumque Salutis

Curæ est! Doctores, Collegæ semper amandi!

Et reliqui vigilans quos tangit Cura docendi!

Nec non Revaliæ qui cives estis honesti!

Perchara egregiis studiis operata juventus!



D / 329833

Plan-



*laudite Revalia Rectores! plaudite Cives  
Et quæ cœpistis pia pergite Jubila lati!  
Pergite lætifico celebrare hæc tempora—  
cultu!*

*Pergite per sacras ædes incedere ovantes!  
Pergite vota DEO persolvere grata—  
Supremo!*

*Scilicet illuxit nobis lectissimus annus,  
Atque dies, quo non per seclum lætior alter.*

*Annus & ille Dies, quo Augusta Vindelicorum  
Præstitit omnipotens doctrinas ante duorum  
Seclorum spatium Luthero vindice salvas.*

*Annus & ille Dies, quo lux est reddita nobis;  
Quoque salus rediit. Nonne annus, præ omnibus annis,  
Atque dies, dignus, quem nos per Secula quævis,  
Carminibus lætis dignoque colamus honore?*

*O felix! o magna dies! o Numine plena!  
O lux! quæ nobis vel maxima munera cæli  
Impertita dedit, quæ nobis dogmata Christi  
Reddidit atque vias ad vitam fecit eundi.*

*Quanquam Lutherus vix per duo Lustra docendo  
Densas errorum felix discusserat umbras.*

*Nam DEUS adspirans sanctos successibus ausus  
Promôrat tantis, ut verbi sanctus ubique*

Cresceret ardor amorque DEI. Saxonia tota,  
 Dania, Suecorum gens, & qui vergit ad arcton  
 Innumerus cætus gelidam septemque trionem  
 Ante diem nostrum Lutheri, vera docentis,  
 Doctrinam assumsere diu, sed facta diei  
 Hujus præ reliquis conamina magna merentur  
 Dici, ejusque sacra hæc seclaria magna putanda.

Nam cum Lustra duo hic quoque tertius auxerat annus,  
 Quo Doctor noster felix pergebat ubique  
 Divinum gentes inter dispergere verbum;  
 Hic, ubi vindelicis urbs est celeberrima campis,  
 Augusti nomen quam magni Casaris ornat,  
 Conveniunt omnes; Caesar cunctique Romani  
 Imperii Proceres, Regumque Ducumque potentum  
 Legati, qui omnes ad Papæ jussa parati  
 Contra nos volunt montes magnosque Colossos.  
 Tentantes rursus nobis auferre renatam  
 Lucem, mox terrent nostrates fulmine Papæ;  
 Mox spadent blandis ex falso pectore verbis.  
 Sed Numen nostris tunc temporis adsuit ausis  
 Nostrum præsidium, nostræ spes una salutis.  
 Cumque suis Geniis totus cœlestibus ather

Adstitit.

*Adstitit. Hinc palmam retulit lux nostra diesque  
Hic fuit exitio Papa nobisque saluti.*

*Nam qua jam quosdam fulsit doctrina per annos,  
Posthac Luthero clarissima vindice luxit;  
Lux Evangelii tunc coepit clarior esse;  
Tunc tandem cuncti manifesta luce videbant  
Errores Papa & quantum distemus ab illis!*

*Non sum animi dubius, quin fecerit omnia Caelum.  
Fortuna non istud opus, qua nulla per orbem  
Regnat; non hominis; quid vis humana valebit?  
Non hoc virtutis terrena; non opus artis;  
Potius haud agre cognosci provida cœli  
Cura potest: tendunt ultra mortalia cuncta.  
Fontibus hinc illis omnem tribuamus honorem.  
Ac hoc festivo discamus tempore, quanta  
Et qualis quondam Victoria Vindelicorum  
Augustæ fuerit! nec non quam provida Cura  
Adstitit nobis tunc cœli quamque benigna!*

*Nil igitur parvum dicam, sed maxima parvo  
Ostendens cantu, fontes & signa docebo,  
Quis modo nitantur Lutheri facta beati;  
Undeque contigerit nobis victoria tanta?*

Ast ades, o DEUS alme ! tuis hic omnia plena  
Muneribus cunctique tibi celebrantur honores.

Huc ades! inceptumque una decurre laborem!

Et vos Revaliæ clarissima lumina nostræ,

Summi fautores & qui huc venistis, amici!

Obsecro velitis cantantem audire faventes!



**I**ngrediar sanctos operum recludere fontes  
Lutheri; adstantis monstrabo robora cœli.  
*Quales sunt primo, qui tantum sunt opus ausi,  
Magnum frangendi Papam sellamque tremendam,  
Cui non ulla ætas unquam, non ulla ferebat  
Terra parem? Reges armis auroque potentes?  
Non. Fuit invalidus, quod constat, Monachus,isque  
Solus, egens, cunctis desertus, debilis, atque  
Islebiæ pauper miseris genitoribus ortus.*

Principium certe parvum \* & certissima nota,

Quod

---

\* Justus Lutheri vocationis ad tantum totius Ecclesiæ reformandæ opus æstimator non minus mirabitur maximam DEI sapientiam atque providentiam quam olim omnes pii mirati sunt eam, cum apostolos ad ponenda Ecclesiæ Christi fundamenta ex infima plebe electos perpenderent. Basilius hoc meditatus exclamat: *o vere consilium excelsum & sapientiam immortalem!* vid. Basilius Seleuc. orat. 30. collatis Pauli verbis. I Cor. I, 27. 28. Mundi stultis-

Quod nihil adfuerit, nisi provida cura benigni  
 Coeli. Nam totum falsis infecerat orbem,  
 Doctrinis, animosque suo subjecerat omnes  
 Papa jugo. Caesar Regesque Ducesque sub illo,  
 Non minus oppressi, quam gens romana parebant.  
 Ut taceam magnos, quos fert Italia, fines,  
 Quam longe lateq<sub>3</sub> patet Germania tota\_\_\_,  
 Gallia & Hispania & quem tangit Iberia, tractus  
 Portugallorum, nec non Brittannia magna\_\_\_  
 Dania, Svecorum, Finncorum, ubi Belthica in arctos  
 Stringitur unda sinus, hybernoq<sub>3</sub> excita fluctu  
 Livonia radit terras, uberrima regna\_\_\_,  
 Ceteraq<sub>3</sub> imperio censum moremq<sub>3</sub> gerebant  
 Papæ. Quo tantum mens atq<sub>3</sub> potentia Papæ  
 Crevit, ut & summo vires equare pararet  
 Rerum Rectori, cælo capita ardua tollens.

Hunc contra surgit fastu tumidum atq<sub>3</sub> potentem  
 Lutherus, nullis munitus viribus, unus.  
 Sic humili virgâ sublimis & ardua palma

Cædi-

---

stultissima elegit DEus, ut sapientes confutaret &c. imprimis CHRISTI: Matth. XI. 25. dilucidissimum exinde pro demonstrandâ sapientissimâ DEI providentiâ emanare videmus argumentum. Conf. cit. Junckeri diss. de Galilæa, p. 39.

Ceditur; infandum: Papa ruit hic caput altum;  
 Hic se sub parvâ Lutheri projicit umbrâ,  
 Qui vult esse caput regumq; ducumq; potentum,  
 Et cujus cunctis fuerat metuenda potestas.  
 Qui tantas domuit gentes populosq; subegit  
 Imbelli calamo ecce jacet devictus ab uno.  
 O mira & cunctis major victoria lauris!  
 Infirmas hominis quis vellet dicere vires  
 Hac fecisse? DEUS dicas hæc omnia fecit.  
 Ausibus & tantis credas divina subesse  
 Auxilia: A Domino venit mens, virtus & omnis  
 Prosperitas tantis præsertim in rebus agendis.  
 Dicis: Luthero Regesq; Ducesq; fuerant  
 Subsidio, nec, quæ dicuntur magna, peregit  
 Solus. Sed quid tum? Reges tunc temporis illi  
 Subvenisse putas, hoc non obstante manebit  
 Munus opusque DEI. Nam vel Magnatibus ipsis  
 A Domino venit mens, ut pietatis iniquam  
 Expulsa vicem, nec non mala fata dolentes  
 Adstarent sanctis studio conatibus omni:  
 Quin passim pietate graves, variisq; periti  
 Artibus, adstabant, conamina talia sano  
 Pectore versantes Scriptis opibusq; juvando

*Mentes & mores studuere reducere sanctos.*

*Absuit ergo DEUS ? qualis Conclusio ? Vires*

*Has socias coeli conjunxit cura benigni.*

*Sed jam divinæ melius vestigia curæ*

*Perspicies , totam si rem perpendere velis.*

*Vix est incepta , & centum miracula summum*

*Autorem præbent Numen. Lux nocte renidet*

*Sub media ; terras currit doctrina per omnes ;*

*Personat atq; movet præcordia , fulminis in-*

*star ,*

*Ut reges multi , multis cum gentibus , illam .*

*Ac multi populi , longinquis disiti in Oris ,*

*Acciperent , ultro veterum præcepta perosi .*

*Hæc si perpendas , hæc , inquam , singula certe*

*Cœlestes produnt Ortus Dominumque loquuntur ,*

*Autorem , quævis conamina Sidera spirant .*

*Sub Papa regno nox intempesta silebat ,*

*Nullaq; Spes menti fuerat , nisi vana salutis .*

*Quo te vertebas , cernebas tartara nigra .*

*Hinc mediâ nobis per densas nocte tenebras*

*Lux luxit , mediam perrupit candida noctem .*

*Non ego jam memorem : quot Numina finxerat error  
Nocturnus. Lignum, lapidem, pictamque papyrum,  
Divino miseri ceu Numen honore colebant.  
Sed soli accendit nova lux altaria Cælo.*

*Obductâ prorsus sacra biblia nocte latebant.  
Divini tenebræ pellebant lumina verbi.  
Hinc animus semper nocuis errabat in herbis ;  
Hinc illi mores ; hinc illorum impia vita ;  
Hinc via labendi proclivior ; hinc mala facta ;  
Namque ruunt homines , divinâ lege repostâ  
In vetitum, & nolunt alios admittere frenos.  
Ceu, cum carceribus sese effudere quadrigæ,  
Addunt se in spatia atque parum retinacula curant.  
Sic miseri nullis mediis poterant inhiberi ,  
Sed veluti sancto sanctarum carcere legum  
Egressi, errabant papales per scelus omne.*

*Nos per Lutherum sancta ad præsepia ducti  
Pascimur haud nocuo perdulcis gramine verbi ;  
Nec nobis liquidi fontes, nec flumina desunt. —  
Hinc & Lutheri quæ Natio nominis heres,  
Longe alios mores sibi finxit ; dum via justæ  
Nobis monstratur divino lumine vita.*

*Mens perit illorum tenebris moribunda sub altis,  
Ac miseris ea visa salus morientibus una,  
Quod purgare animas inferni flamma putatur,  
Sed meliora piis! errorque sit iste malignis!  
In CHristo nobis spes est certissima vitæ.*

*Ausu Sacrilego CHristi cum Corpore sanguis  
Illis abnuitur: Nobis tam sanctus ad aras  
Porrigitur potus, quam cibus munere CHristi.  
Sic lux excussa fulsit caligine nobis.  
Nunc nos ereptos Papæ pro tristibus umbris,  
Pro flagris furiarum immittibus & Styge seva  
Ignis inextinctique rogo, pulcherrimus ether  
Stellatique manet cœli felicior aura.*

*Quæ si collatis rumamus singula labris,  
An Cœli, dubito, nos fallat provida cura?  
Singula nam longe supra mortalia tendunt.  
Non opus est hominis rerum mutatio tanta.*

*Nec frustra tempus rerum speculamur & horas,  
Queis sunt incepta; has quoq; multum nosse juvabit.  
Maxima divinæ ostendent vestigia curæ.  
Venerat ad summum; nullus respectus honesti  
Tangebatur mentes; iusti reverentia nulla;*

Nulla pii. Venalis erat possessio cœli.  
 Indulgens auro cui conciliata papyrus,  
 Æterna peccans sperabat gaudia vite.  
 Nam tunc Tezelides chartis mendacibus ibat  
 Ad Bojos, Svevos, Francos, gentesque Vigentes  
 Saxonix & cœlum nummis vendebat ubique.  
 Vidit id omnipotens, nam quid non ille videret?  
 Facta DEUM nunquam mortalia fallere possunt.  
 Vidit & in justam excandescens illicet iram  
 Mittit Lutherum, qui solus fortibus ausis  
 Tezelium aggreditur, vitam moresque reformat,  
 Et renovat sacras ades Papamque refrenat.  
 Hinc igitur maneat totius gloria facti  
 Divinam curam: DEUS est Dux, Auctor & Actor.

Id quoq; cognosces, si, qua sit sede peractum,  
 Contemplatus eris. Witebergæ affigere cœpit  
 Lutherus Theses: pulsum sonitumq; per omnes  
 Senserunt terras: tremuerunt motibus Alpes  
 Insolitis tantum, ut Simulacra modis tremefacta  
 Miris pallerent, mentis quæ fecerat error  
 Vesana. Nonne hic se cœli cura revelat?

*Incipit in parva, (\*) sicut solet, urbe, quod urbes  
Transit opus magnas. Hic mos, hæc sola supremi  
Consuetudo fuit primi jam ab origine mundi.*

*Cælum non curat res magnas, spernit inanes  
Pompas, ac Strepitus & quidquid secula curant.  
Romam, quæ celebres inter caput extulit urbes  
Et reliquas omnes pompis opibusq; superbas  
Præterit: in parva Musarum suscipit urbe.  
Hoc opus, & cunctis illud mirabile visum,  
Quod nova lux subito per terras fulguris instar  
Luxit. Nam primos quam plurima regna per annos  
Deservere suos antiquos vivere mores.  
Prima sub auspiciis cæli Germania cæpit;  
Mox doctrina suo lustravit lumine terras  
Cimbrorum & cunctas quas tangit Belhica gentes  
Unda, Danos, Suecos & quæ moderatur ad Arcton  
Gens gelidam; Cæli hoc curam testatur abunde.*

D 3

Nec

---

(\*) Lutherus scribit Tom. V. Jen. p. 276. Fol. b. Ein großer Niclas Bishoff zu Augspurg hat selbst gesagt / Er möchte leiden / daß allenthalben so gehalten würde / wie zu Wittenberg; aber daß aus dem Loch und Winkel solche Lehre solte ansahen und auskommen / das sey nicht zu leiden. Adeo non convenit consilia divina inter & rationem humanam, ideoque inter alia quam maxime ex hoc providentiam divinam patere arbitror.

Nec quod cura DEO fuerit postrema, sed una,  
 Perspicies, reputans, quid sit, praecepta parentum  
 Relligione sua multos firmata per annos  
 Spernere: Nam nosti à teneris consuescere quantum  
 Quantum sit rursus veteres dediscere mores!  
 Hic opus est caelo, sine quo non talia fiunt.  
 Num tellus poterit per se removere rigorem,  
 Temporis hyberni, sordes gelidasque pruinas,  
 Ni verna subeant aura, ni blandior aether  
 Adveniatq; juvetq; pii lux fervida solis?  
 Sic nihil efficiet veterem mutando rigorem,  
 Mentis Homo viduatus ope auxiliantis Olympi  
 Ni DEUS ipse juvet, frustra sunt omnia facta.  
 Frustra Lutherus conatus tanta fuisset,  
 Ni DEUS adspirans laetis successibus illa  
 Ipse secundasset. Duras inflectere Mentem,  
 Frangere corda hominum, mores mutare veteres  
 Hoc opus est caeli. Sic nostra perhorrida quondam  
 Pectora divina mutarunt munere cura  
 Sylvestre ingenium, mores oblita priores.  
 Nec minor Augustæ sentitur Vindelicorum  
 Cura DEI, tantum te singula finge vidisse,  
 Et quid præstiterit caelestis cura, videbis.

Romanus Cæsar non cum parvo comitatu  
 Huc venit, ut legum custos atque arbiter equi  
 Presideat; veri vero est non censor amicus;  
 Ac assessores Papæ præcepta furentis  
 Facturi sevo doctrinæ Marte resistunt  
 Lutheri, sola hæc tot tantisq; hostibus obstat.  
 Nec via juris erat simplex; modo jure tacente  
 Terrebant sevo Romani fulgure Papæ,  
 Nec alias sellâ ceciderunt plura papali,  
 Fulgura, nec diri toties arsere Cometa,  
 Quam tunc persensit pietas; modo cum ignea tela  
 Cessarent hostis, falsus tentabat amicus,  
 Num forte insidiis Nostrates ledere possêt;  
 Rursus abundabant Livoris pallida labra  
 Criminibus falsis; frustra vero, omnia frustra  
 Tentabant. Nam dum æternæ doctrina salutis  
 Ceu rupes ventis & fluctibus obvia sevis  
 Fortiter & felix cælo curante resistit,  
 Vim cunctam atque minas perfert palmamq; reportat.

Historicis etiam cunctis notissima res est,  
 Omnia doctrina tunc intentasse Lutheri  
 Exitium præsens & Confessoribus ejus  
 Mortem; sed DEUS avertit discrimina, nosq;

*Incolumes præsens ad tempus præstitit usque.  
Non hyemes sævæ, non turbida flabra neq̄, imbres  
Nos cæli fretos potuere revellere curâ.*

*Potius ut florens arbor, quæ fortia tendit  
Brachia, nec ramos patitur concedere ventis,  
Jam per bis centum Lutherus floruit annos.  
Et porro, credas, ejus doctrina manebit  
Casibus haud superanda atque omni firmior ævo.  
Nam curæ cordique DEO est doctrina salutis.*

*Si vellem, possem res ordine pandere cunctas,  
Quas in Vindelica percepimus urbe peractas,  
Et forsân curæ quamplurima signa referre  
Cælestis; sed summa sequar fastigia rerum.*

*Quam primum Cæsar portas intraverat urbis,  
Adsunt Magnates & quos Saxonia Patres  
Agnoscit Patriæ JOHANNES Duxque GEORGOS,  
Quis Cæsar visis inquit, se publica velle  
Doctrinâ minime Lutheri rostra sonare;  
Sed Dux Saxonix prodire GEORGIUS ausus  
Haud dubio aterna permotus robore curæ,  
Fortis & intrepido nihili anxius incipit ore:  
Malo caput, Cæsar! seu dulcem ponere vitam.\**

Quam

(\*) Vid, Lutheri Tomus, V, Jenensis. p. 27.

Quam contra sanctum quidquam committere Numen,  
 Nostra DEI causa est, nos vivimus atque docemus,  
 Sicut nos Jehova docere & vivere iussit.

*Quæ quia Cæsarea menti miranda videntur  
 Obstupuisse simul, simul & dixisse refertur:*

**Haud caput, haud vitam! (\*)** *Quis non vestigia  
 cæli*

*Observat? Quanquam Cæsar præcordia ferri  
 Instar habebat, nec precibus verbisque moveri  
 Tunc poterat, (\*\*) poterit quivis tamen inde videre,  
 Ejus commotam mentem divinitus esse.*

*Et sua Conventus cum jam primordia sumpsit,  
 Ægre (\*\*\*) doctrinæ tandem Confessio lecta est.  
 Dum legitur, Cæsar stupuit, Regesque Ducesque  
 Attoniti hæserunt omnes ex ore legentis,  
 Et quod jam quondam cunctis mirabile visum,  
 Multi dixerunt: Nostrates vera (\*\*\*\*) docere.  
 Quis queso hîc poterat vultus & corda movere?*

E

Non-

(\*) Lutheri Tom. V. Jen. p. 27.

(\*\*) ibid.

(\*\*\*) vid. Rechenbergii H. E. Period. V, c. I, p. 561.

(\*\*\*\*) Luth, Tom. cit. p. 277, fol. b.

*Nonne DEus solus? Solus supereminet omnes,  
Non ea vis animo mortali; sola Jehova.*

*Atq; equidem extremo n̄ jam sub fine laboris  
Vela traham & terris festinem advertere proram  
Pluribus indiciis, nam plurima crede supersunt,  
Quanta DEI fuerit, possem contendere, cura  
Forsitan & canerem, quot sit quantisq; periculis  
Ereptus Noster cœlestis robore cura;  
Hæc vero spatiis horæ subjectus iniquis  
Prætereo atque aliis post me memoranda relinquo.*

*Attamen ex dictis certi quoque possumus esse  
Cœlestis curæ, nec non cognoscere, quanta  
Tunc veræ fuerit doctrinæ cura Supremo.*

*At hîc cura DEI alloquitur quasi quemq; piorum  
Hæc sunt, quæ posui manuum monumenta mearum,  
Sunt quoque, quæ vobis summum testantur amorem;  
Vestrum est, ut grato solvatis debita corde  
Atque hæc lætifico ducatis tempora cultu.*

*Scilicet ut primi sub lumina Solis & ortus  
Cum tenebræ cessant, latantur roscida prata  
Et segetes rident, & quæ circumq; supraque  
Cernuntur volucres, permulcent æthera cantu;*

*Sicce dies presens poscit precordia leta* ,  
*Quo nobis quondam lux inter nubila luxit.*  
 Nam quoque cum Moses Nili discederet arvis  
 Terras visurus dulces ac lacte madentes,  
 Cantabat latus. *Quid gaudia nostra moramur,*  
*Densis egressi tenebris? Sceptraque molestis*  
*Abjectis Papa, meritis quid plausibus obstat?*

**Ite pii coetus & lätos tollite plausus!**  
**Plaudite! nam coelum nobis hæc Jubila fecit.**

*Ast DEUS omnipotens cujus sub Numine nostra*  
*Jam per tot terras Ecclesia tuta triumphat.*

Huc ades! ac audi! quæ toto corde precamur,  
 Votaque quæ facimus. Damnabis tu quoque votis,  
 Muneris omne tui est, tibi soli magna faventi  
 Pectora debemus Lutheri omnesque secundos  
 Ejus conatus. *Tu nos ex carceris antro*  
*Ductos in nitida voluisti luce renasci,*  
*Hanc quoque servasti jam per duo Secula faustam,*  
*Munere jamque tuo lætissima jubila fiunt.*  
 Tanta DEUS porro te tangat cura piorum,  
 Dona tuere tua & quæ jubila læta dedisti,  
*Pro virtute tua per secula plurima redde,*

Ut post exactos centum feliciter annos,  
 Ut post bis centum & post singula secula mundi  
 Postera gens simili tollat sua **Jubila Festo**

*Inprimis vero supplex Revalia tendens*

*Brachia Te Cœli regemq; DEumq; precatur:*

Cures, ut regni summas moderantis habenas

**ANNAE** Rutheni **MAGNÆ** sit fausta,

**Corona,**

Debita namque Tui cœlestis jura tuetur

In terra regni; regnumque suum finit esse

Confugium fidei; sub cujus non minus umbra

Perdulci felix Ecclesia nostra quiescit,

Quam Puer in gremio Matris non ulla tre-  
 miscens;

Cujus & in nostrâ patet unica cura salute.

Hanc **DEUS** omnipotens conserva, nec pa-  
 tere illam,

Ullis insidiis hostis mortisque patere!

Digna est, quæ felix regnando Secula vincat.

Præterea alme DEUS totius sit tibi regni  
Cura ; nec impediās huic omnia cedere læta

Urbi, fac tandem tua gratia vindicet almæ  
Relligionis opus, lætis ut ubique triumphis  
Hostibus ablatis cunctis divina supersit

